



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXXI. Argumentum. Disputatur, quomodo contingat infirmos peccare, vel ex nimia negligentia, vel ex magna devotione erga Oleum Sanctum? Duo contraria Quæsitæ examinantur: Unum, an extet ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

peccatum nisi voluntarium; ac perpetuo amentes deficiente in eis ratione, ac intellectu, non habent liberam voluntatem, qua possint peccare; ut docet probant Salmanticenses in *Cursu Theologico tom. 4. de Vitiis, & peccatis tract. 13. disp. 10. dub. 2.* Neque officit, quod stulti, & amentes etiam à nativitate, ac perpetui videantur habere saltem imperfectam voluntatem, quam demonstrant in edendo, sedendo, sibi grata acceptando, pecunia refugiendo; & sic possint saltem peccare venialiter. Nam respondent iidem Salmanticenses d. dub. 2.

42 num. 68. his verbis: *Illæ (libertas voluntatis) quæ apparet in actionibus amentium, & puerorum ante usum rationis, nequaquam est vera libertas, sed similitudinaria, & apparens, ut quæ cernitur in actionibus aliquorum irrationabilium. Vera enim libertas sive physica, sive moralis, requirit, ut suppositum, in quo est, habeat verum dominium supra actionem liberam: sive hoc dominium sit in ipsa potentia elicitive actionis, sive in alia. Verum autem dominium non potest inveniri sine iudicio deliberato rationis, quod vel actu detur, vel saltem in potentia suo modo proxima, & expectata. Cum igitur amentes, pueri, & bruta neque habeant tale iudicium, neque potentiam expeditam ad illud eliciendum, consequens est, ut nullatenus vera libertate gaudeant; unde quicquid agunt, quantumvis ordinatum, & artificiosum videatur, agunt sine electione, ex solo instinctu naturæ, quod sequi, vel non sequi non subest eorum potestati; sed ubi apprehendunt aliquid ut bonum, & conveniens suæ naturæ, V. G. manducare, sedere, &c. necessario in id serantur: ubi vero apprehendunt aliquid ut malum, & disconveniens, necessario id refugunt. Nec concedenda est illis aliqua aliorum cognitio, aut magis discretiva inter bonum, & malum, quam prædictus instinctus, qui sicut non est indifferens in proponendo, sed determinatus à natura, ita non potest esse radix alicujus veræ libertatis. Igitur cum perpetuo amentes non habeant iudicii libertatem, neque liberam voluntatem circa actiones, nullum committere possunt peccatum; cumque peccata non habeant eis remittenda, Sacramentum Extremæ Unionis non est eis conferendum, cujus proprius, ac principalis effectus est reliquias peccatorum delere.*

Similiter ex defectu libertatis iudicii, & carentia usus rationis non possunt amentes consentire tentationibus diaboli; quia ex doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 80. art. 3. *Diabolus propria virtute, nisi refragetur à Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est, non autem potest inducere necessitatem peccandi; quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non resistit, nisi per rationem, cujus usum totaliter impedire potest movendo imaginationem, & appetitum sensitivum, sicut in arreptiis patet; sed tunc ratione sic ligata (notet studiosus) quicquid homo agat non imputatur ei ad peccatum; sed si ratio non sit totaliter ligata, ex capite, qua est libera, potest resistere peccato, sicut supra dictum est. Unde manifestum est, quod diabolus nullo modo potest necessitatem inducere ad peccandum.*

Porro quia difficile est reperiri amentem à nativitate, qui totaliter careat libertate mentis, & usu rationis, plures enim aliquando talem qualem ostendunt capacitatem mentis, quæ sufficere videtur saltem ad aliquod veniale peccatum committendum; putarem non inconveniens sequi opinionem Majoris, quem citat Gobatus d. tract. 8. n. 225. concedentis, posse ministrari Extremam Unionem etiam perpetuo amentibus, ac stultis à nativitate; quod ego ad proximum deducere sub conditione, si aliquam

Doct. Clericali Tom. I, Liber I.

culpam in vita tua decursu commissisti; sicut enim sub hac conditione potest dementibus dari absolutio Sacramentalis, si capax es; nullaque irrogatur injuria Sacramento, Gobatus de Sacram. Penit. tract. 7. a num. 600, & seqq. ita poterit iidem ministrari Sacramentum istud; & eo magis, si in amentiam incidissent in pupillari ætate, ut ratiocinatur idem Gobatus tract. 8. num. 828. de puella ingressa stultitiam anno decimo ætatis suæ, quæ in ea continuavitque ad septimum decimum annum, quo demens obiit; circa quam, etsi habito consilio prudentum, Parochus decreverit, non esse Oleo Sancto inungendam, subdit Gobatus, hujusmodi consilium sibi non placuisse; sed contrarium debuisse practitari pro illius animæ potentiori auxilio; quia, ut contestatur Joan. Sanci in Select. disp. 17. n. 17. quando vertitur dubium, an quid post baptismum fuerit adeptus aliquem usum rationis, seu aliquam cognitionem rerum supernaturalium, potest & ad augmentum gratiæ, & ad præliandum prælia Domini muniti hisce spiritualibus armis; cujus Sanci opinionem laudat etiam Tamburinus d. cap. 2. de Extr. Unct. §. 3. sub num. 3. Vers. Si dubitetur.

DECISIO LXXXI.

ARGUMENTUM.

Disputatur, quomodo contingat infirmos peccare, vel ex nimia negligentia, vel ex magna devotione erga Oleum Sanctum? Duo contraria Quæstia examinantur: Unum, an extet Præceptum obligans sub mortali recipere Extremam Unionem in periculosa infirmitate? Alterum, an sit licitum in eadem infirmitate pluries reiterare ipsam Unionem Extremam? Primum Quæsitum resolvitur negativè, tribus casibus exceptis. Secundum, perpenso prius Antiquorum usu, quatuor conclusionibus declaratur.

SUMMARIUM.

1. Præceptum an detur de suscipienda Extrema Unctione.
2. Verba D. Jacobi Infirmitas, quis, &c. an sint præceptiva Et num. 17.
3. Theodori Archiepiscopi Cantuariensis Anno 668. decretum de Extrema Unctione.
4. Cabilonenis Concilii decretum pro Unctione Extrema.
5. Debet esse verbum Præceptivum.
6. Sepultura Ecclesiastica privatur non inuncti Oleo Sancto.
7. Tridentini Concilii Confutatio contemptorum Extremæ Unionis.
8. Consuetudo universalis fidelium in unguendis infirmis Oleo Sancto.
9. Bedæ Ven. Unctio Extrema, & Mors.
10. S. Hunegundis Extrema Unctio, Mors & Sepultura.
11. Utilia animæ suæ quisque debet providere.
12. Extrema Unionis Sacramentum est proprium remedium pro moribundis.
13. Tentare Deum est expectare Messiem, & non seminasse.
14. Peccatum mortale est negligere Extremam Unionem. Contrarium num. 15.
16. Interdicti tempore non datur Extrema Unctio.
17. Obligatio Extremæ Unionis afficit Parochos, non Parochianos.
18. Consuetudo quando inducat obligationem?

A a

Æædia

- 20 Media necessaria ad salutem sunt de præcepto; non etiam solum utilia.
- 21 Contemnens Extremam Unctionem peccat mortaliter.
- 22 Dicitio Vel sonat Et.
- 23 Scandalum si resultet ex omiffa Extrema Unctione, est mortale.
- 24 Confiteri si non posset infirmus tenetur recipere Oleum Sanctum.
- 25 Attritus sit contritus virtute Extrema Unctionis.
- 26 Mortis timore recusans Oleum Sanctum an peccet?
- 27 Rupertus Rex Romanorum recusabat inungi, timens statim mori.
- 28 Parochorum obligatio instruendi infirmos circa Oleum Sanctum.
- 29 Puella recusans Oleum Sanctum, ne prohibita esset saltare.
- 30 Antecineralia quid sint?
- 31 Palatini Oleo Sancto inuncti calceos non induunt.
- 32 Venialis culpa recusare Extremam Unctionem ex levi causa.
- 33 Purgatorii penis addictus qui Oleo Sancto noluit liniri.
- 34 Antiquitus an repeteretur pluries Extrema Unctio?
- 35 Menardi opinio affirmativa.
- 36 S. Rembertus Episcopus pluribus continuatis diebus Oleo Sancto inunctus.
- 37 Unctiones antiquitus continuatae ad infirmos non erant Sacramentum.
- 38 Matthaei Galeni opinio, quod non fuerint Sacramentum.
- 39 Clotildis Regina Francorum obitus.
- 40 Reiterare Extremam Unctionem in eadem infirmitate illicitum.
- 41 Nisi cessato periculo, iterum fiat periculosa.
- 42 Temporis distantia notabilis pro reiteranda Extrema Unctione.
- 43 Iteranda Extrema Unctio si iterentur infirmitates.

An tequam discedamus à subjecto hujus Sacramenti Extremae Unctionis, quod, ut dictum fuit, est homo Christianus, adultus, poenitens, periculose agrotans, restat examinare, atque resolvere duo dubia satis utilia, ac scitu digna: *Unum* est, an contingat, infirmum peccare ob negligentiam in petendo, recipiendoque hoc Sacramento? *Alterum* est, An viceversa possit incurrere in peccatum ob nimiam devotionem erga hoc Sacramentum, illud scilicet pluries recipiendo in eadem infirmitate?

Circa primum dubium: Quærent Theologi: *Utrum* sit de præcepto sumere Extremam Unctionem in periculosa infirmitate? adeo ut si infirmus negligat eam petere, & recipere, peccet mortaliter? Et equidem non pauci opinati sunt, omiffionem ex sola negligentia esse peccatum mortale ex sequentibus.

Primo: Quia, quæ de præcepto sunt, omitti non possunt absque peccato. Sed susceptio hujus Sacramenti in periculosa infirmitate censetur de præcepto; verba enim Divi Jacobi: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesie &c.* quibus promulgatum est hoc Sacramentum, debent habere eandem necessitatem quoad ejus susceptionem, quam continent circa materiam, & circa formam ejusdem Sacramenti. Sed sic est, quod verba prædicti Apostoli indicant necessitatem in materia, ut scilicet sit Oleum, ac etiam in forma, ut

sit deprecatoria, & per viam orationis; itaut si alia vel materia, vel forma ab Apostolo indicata adhiberetur, peccatum esset mortale. Ergo etiam inductio, idest vocatio Presbyteri, ab infirmo periculose agrotante facienda, ut sibi Extremam Unctionem ministret, juxta verba ejusdem Apostoli, reputanda est ex necessitate, & ex præcepto; itaut omiffio sit peccatum mortale.

Secundo: Confirmatur hæc necessitas, ac præceptum ex libro poenitentiali Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, electi à Vitaliano Papa Anno 668. in quo disserens de Extrema Unctione infirmis graviter decumbentibus danda ita ait: *Idem secundum auctoritatem Canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis, Sacra Unctione Olei inuncti secundum statuta Sanctorum Patrum communione Viatici reficiantur.* Ex his verbis dupliciter probatur præceptum recipiendi Extremam Unctionem; primo in illis: *Secundum auctoritatem Canonicam*, quæ referri non possunt, nisi ad Epistolam Divi Jacobi habentem circa hoc Sacramentum vim præcepti: Secundo, ex conjunctione hujus Sacramenti, cum Sacro Viatico; quia sicut hoc est de præcepto sumendum à constitutis in discrimine vite, ita illud, Quam unionem Olei Sancti cum Viatico ponit etiam Capitulare Caroli Magni, ita jubendo: *Si infirmitate quis depressus fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacra Olei careat.*

Tertio: facit Concilium Cabilonense II. (Cabilonum est Urbs Gallie Celtica, ampla, & probe culta ad Ararim fluvium, vulgo dicta Chalons) in quo Concilio celebrato sub Leone III. & Carolo Magno Imperatore cap. 48. sic legitur definitum: *Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi Oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent.* Porro non semel ostensum, & probatum fuit, verbum debent inducere necessitatem, ac vim præcepti habere. *l. Sepè ff. De offic. Præsid. Fagnanus in cap. Qualiter, num. 37. De Cleric. non residen. tom. 4. pag. 62. Eminent. Cardin. de Lauræa super Decis. LXXII. num. 23.*

Quarto: accedit Concilium Colonienfe sub Paulo III. Anno 1549. celebratum, in quo ita legitur de Extrema Unctione recipienda: *Statuimus, ut si quis Sacramentum illud nobis ab Apostolo Jacobo tantopere commendatum contempserit, Ecclesiastica careat sepultura.* Sed privatio Sepultura Ecclesiastica est poena gravis, quæ non imponitur, nisi ob enorme peccatum; cap. 1. de Hæretic. Clem. 1. de Sepultura. Thesaurus de Penes Eccles. par. 2. Verb. Sepultura. cap. 5. Samuelius de Sepultura. tract. 2. Controv. 4. & 5. Ergo hæc poena inflicta in negligentes Extremæ Unctionis susceptionem indicat, negligentiam ipsam esse culpam gravem, ac mortalem.

Quinto: urgent verba Concilii Tridentini de Extr. Unct. cap. 3. quibus confutatur asserentes hoc Sacramentum non esse mandatum Dei; & eos, qui hanc Extremam Unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant.

Sexto: accedit inveterata, & semper observata consuetudo Ecclesie, quæ sanè communissima viget, & in omni præterito sæculo vixit tam ex parte infirmorum in hoc Sacramento suscipiendo, quam Pastorum in ipso sollicitè ministrando; ac etiam familiarium infirmi uniuscujusque, studentium suadere eidem, ut Extremam Unctionem recipiat, & satagentium vocare Parochum; ut opportune illam ministret, prout ex exemplis antiquorum relatis supra

- 9 supra in *Decif. LXX.* quibus addendum est id, quod de Venerabili Beda (vita functo parum post Annum 730.) scribit Guilielmus Malmesburienfis *libr. 1. Hist. cap. 3.* nempe *Acta Congregatione in unum est, & communicatus die vero Ascensionis Spiritum efflavit.* Et quod apud Surium habetur de S. Hunegunde die 25. *Augusti. Illa conversa ad eos,*
 10 *qui illi assidebant Presbyteros, Sacra Unctionis Oleum, & Eucharistiam sibi petiti ministrari.* Floruit hæc S. Virgo Anno 660. sub S. Eligio Episcopo Noviomente; cumque diu fuisset incognita ejus sepultura, reveleta fuit, & magnis miraculis decorata Anno 549. de quibus etiam Spondanus in *Epitom. Annal. d. ann. num. 6.*

Septimo concurret generalis regula, quod unusquisque obligatur ex charitate erga seipsum consulere suæ salutis quantum potest, & præsertim in mortis articulo; in quo hoc Sacramentum est medium validissimum adversus molestias infirmitatis, ac diaboli tentationes.

- Octavo: Eo magis, quia pro dicto tempore non sunt instituta alia media propria, & determinata pro reprimendis prædictis molestiis, & tentationibus; nec non ad recuperandam corporis sanitatem, nisi Sacramentum Extremæ Unctionis. Ideo illud negligere & non recipere est tentare Deum; prout tentaret homo, qui panem expectaret à terra, negligens in ea triticum seminare; cum ab ipso Deo ordinata sit seminatio, pro colligendis bladis ad panem conficiendum, & vivendum. Tentatio autem Dei est mortale peccatum, ut dixi in *meis Erotemat. cap. 11. quæst. 6.* ex Emin. Card. Tolet. *lib. 4. cap. 29. num. 7.* His præcipuis rationibus, & argumentis
 11 Extremam Unctionem esse recipiendam ex præcepto, ejusque omissionem ex negligentia esse peccatum mortale voluerunt Magister Sententiarum in 4. *dist. 23. ibi: Si ex contemptu, vel negligentia Sacramentum hoc prætermittitur, periculosum est, & damnabile;* nec non Petrus Soto, Turrianus, pontius, & alii, quos citat Mastrius in 4. *Sent. disp. 6. num. 119. & num. 122.*

Histamen non obstantibus communis, ac receptissima Theologorum, & Summistarum sententia est, hujus Sacramenti susceptionem per se loquendo non cadere sub obligatione, & præcepto; sed esse tantum de consilio; ita ut nisi per accidens in tribus infra notandis casibus ob ejus omissionem incurratur peccatum mortale. Fundamentum hujus opinionis est, quia nullibi constat de obligatione prædicta sub præcepto; siquidem hoc Sacramentum non est medium necessarium ad salutem, sed tantum utile, & ad melius esse, quia infirmi possunt sufficienter per Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sanctificari, & salvari. Adjungitur dispositio textus in *cap. Quod in te. De pœnitent. & remis.* in quo prohibita est ministratio hujus Sacramenti Extremæ Unctionis tempore Interdicti ut dixi supra *Decif. LXXIV. num. 38.* certum est
 12 autem, quod Ecclesia nunquam prohibuit, aut prohibere intendit ea, quæ sunt homini necessaria ad salutem. Quapropter ita tenent, ac docent DD. quos citat, & sequitur Diana *part. 3. tract. 4. resol. 169. nec non part. 5. tract. 3. resol. 97.* Quæ nunc leguntur collocatæ in ejus opere Coordinato *tom. 1. tract. 4. resol. 24. & resol. 25.* & plenius, ac diffusius de hoc dubio agit idem Diana, stans pro exclusionem præcisæ obligationis, ac præcepti in *part. 2. tract. 1. resol. 58.* reposita in eodem Coordinato opere *tom. 3. tract. 1. resol. 57.* cui novissimè consentiunt Gonet. *de Extr. Unct. tom. 5. disp. 3. num. Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.*

19. Collegium Salmanticens. *tract. 7. cap. 4. num. 10.* Mastrius *d. disp. 6. num. 120.* & Ivenim. in *suo Comment. Historic. Dogmat. de Extr. Unct. quæst. 9. cap. 2.* qui omnes respondent argumentis contrariis supra adductis, & ostendunt, ea non concludere, & non obstat; non *Primum*, quia D. 17 Jacobus Apostolus promulgando hoc Sacramentum monuit, non autem præcepit ejus susceptionem. Non *Secundum*, neque *Tertium*, quia ibi præceptum dirigitur in animarum Pastores, ut sci-
 18 ant, se obligatos esse ministrare hoc Sacramentum infirmis; non verò in ipsis infirmis, quibus præcisæ obligatio illud recipiendi non incumbit. Non *Quartum*, quod procedit ubi non recipitur ex contemptu, de quo paulò infra dicemus. Non *Quintum*, quia Tridentinum intelligit de negantibus institutionem hujus Sacramenti, ipsi quoque continentibus. Non *Sextum*, quia sola consuetudo, & usus alicujus rei non inducit obligationem, nisi præcelleret titulus obligatorius. Non *Septimum*, & *Octavum*; quia satisfit præcepto charitatis erga seipsum utendo mediis necessariis ad salutem, qualia sunt sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; secus si omittatur medium ad melius esse, nempe Unctio Extrema, ut plenè respondent Diana *Coordinatus d. tom. 3. tract. 1. resol. 57.* & Mastrius *d. disp. 6. à num. 120. usque ad n. 123.*

Tres tamen casus excipiuntur per supracitados omnes DD. in quibus omisso Extremæ Unctionis esset peccatum mortale, & gravi culpa infirmus oneraretur. Primus casus est, si omitteret hoc Sacramentum ex contemptu; idest de eo nihil faciens, aut putans esse quid puerile, aut parum decens quot notavit Tridentinum in *cir. cap. in illis verbis: Neque verò tanti Sacramenti contemptus absque ingentis scelere; & ipsius Spiritus Sancti injuria esse possit.* Et de hoc casu locutum esse Magistrum Sententiarum in 4. *cir. dist. 23.* interpretatur S. Bonaventura ubi exponit *ly Vel*, pro *Et*; ita ut sensus
 21 Magistri sit, esse periculosum, ac damnabile, si prætermittatur hoc Sacramentum *ex contemptu & negligentia.* Secundus casus est, si ex omissione hujus Sacramenti resisteret grave scandalum; vel quia infirmus daret suspensionem, quod non crederet in ipsum, vel moveret adstantes ad parvificandum idem Sacramentum malo suo exemplo. Tertius casus est, qui infirmus detineretur aliqua culpa mortali, quam confiteri non posset & non esset certus se habere veram contritionem; nam
 22 tunc perderet auxilium hujus Sacramenti, cujus virtute ex attrito fieri potest contritus, & obtinere remissionem illius culpæ; & per consequens æternam salutem tunc perderet, non recipiendo Unctionem Extremam. Ita notant omnes præfati Doctores, & aliis citatis firmant Salmanticenses *d. tract. 7. cap. 4. num. 11. 12. & 13.*

Sed interrogabit aliquis; peccaretne infirmus, qui renueret accipere hoc Sacramentum, opinatus, quod omnes, qui Sacro Oleo unguntur, paulò post Unctionem sunt morituri? Hunc casum accidisse insigni Parocho pauculis ab hinc annis scribit Gobatus de *Extrem. Unct. tract. 8. n. 815.* his verbis: *Virum quemdam similiter agressem, tametsi vita periclitantem, constanter dicam: an pervicaciter? recusasse hoc Sacramentum, allata hac unica ratione: semper audivi esse moriendum illi, qui se ungi permittit.* Consimilem resistentiam, ac contradictionem in Extrema Unctione recipienda, ob timorem proximæ subsecuturæ mortis habuisse etiam Rupertum Regem Romanorum narrat Jo-

- 27 annes Nider celebris Sueviae Doctor in suo Formicario lib. 4. cap. 11. & ex eo refert idem Gobatus eod. tract. 8. num. 881. qui propterea examinando, utrum hæc resistentia ob dictum timorem mortis sit peccatum? sub num. 818. firmavit, ob evidentem errorem in fide, qualis est; quod hoc Sacramentum acceleret mortem, eam esse mortale peccatum; subdens: *Quare si Parochus animadverteret, hoc Sacramentum ab infirmo respui, seu negligi ex contemptu, vel vilipensione ipsius, teneretur omni ratione eum adducere ad estimationem, & venerationem; negareque ipsi tanquam merito suspecto de errore in fide beneficium absolutionis, nisi mutaret primum illum animum. Et generatim censeo, si probe perpendantur omnes circumstantie, non reperiri quemquam, qui volens ex deliberata animi sententia mori sine hoc Sacramento, non peccet, saltem per accidens, aliquantulum graviter; talis enim aut conficit suos domesticos in magnas sollicitudines, ne oreve; aut dat occasionem, ut homines perius de ipso loquantur; habet sane illa deliberata omisso juxta communem aut apprehensionem, aut judicium speciem mali: ergo semper est mala malitia scandali.*
- 28 S. Thomas 2. 2. qu. 43. artic. 2. in Corp. Idcirco prudentes, sed ferventes debent esse Parochi in suis Parochianis suadendis, ne admittant in se falsum hunc timorem celerioris mortis, Sacram. Unctionem Extremam recipientes, cum sit error in fide; nam imò ipsa Sacra Unctio juvat ad sanitatem corporis recuperandam, ut in sequenti Decisione demonstrabimus.

- Sed quid dicendum, si infirmus renueret ungi Sacro Oleo, non ex prædicto errore; sed ex aliqua ridicula causa ex his, qui leguntur apud eundem Gobatum d. tract. 8. num. 814. & 815. videlicet de quadam puella, quæ recusabat recipere Oleum Sanctum, etsi in extremis laboraret;
- 29 Quia (ajebat) semper ex majoribus meis audivi, esse choreis ducendis interdictum iis, qui, aut quæ Unctionem acceperunt: imminet autem Anticeneralia (nota nomen carnisprivii) quibus saltare de more cogito, si convalesco. Deinde iisdem, ut sapè inaudii, vetitum est sertum capite gestare, aut nudis pedibus terram contingere. Aut etiam de hoc alio motivo his verbis per ipsum Gobatum expresso: *Francones aliquot sunt ejus opinionis, quod extremeunctis nefas sit saltare. Palatini nefas induere calceos.* Utique in his, ac similibus inanibus, ac futilibus causis spectat ad Parochum ponderoso sermone infirmum ad eas contemnendas hortari, qui si obstinatus in illis noluerit Sacramentum hoc recipere, dicendum est saltem venialiter peccare,
- 32 quia absque ratione agit contra debitum propriæ charitatis, tam saluiferum animæ remedium in occasione ita periculosa negligendo. Palaus tract. 26. punct. 8. num. 2. Gobatus d. num. 818. & Salmanticensis, qui alios DD. ita determinantes referunt d. tract. 7. cap. 4. num. 11. Hinc notandus casus relatus ab ipsomet Gobato d. tract. 8. num. 883. his verbis: *Nicolaus de Nisa Ordinis minorum in Gemma Predicantium scribit, quemdam magni cæteroqui meriti interrogatum, an vellet Oleo Sancto ungi? renuisse. Nolite inquit, obsecro, quia omnes, qui unguuntur, moriuntur: atque in iis verbis obisse. Cum linteaminibus involveretur, aperuisse oculos, & hæc dixisse: Quia Extrema Unctionis Sacramentum abhorruì, centum annis in Purgatorio, iusto Dei judicio, torquor. Si unctus fuisset, de agitudine convalescerem; & his dictis iterum expirasse. Hæc omnia non me piguit transcribere ex his approbatis auctoribus, ne Curatis desint rationes, & exem-*

pla ad suadendos infirmos, ut piè, ac devotè, cum in discrimine vitæ versantur, Oleum Sanctum petant, ac recipient.

Alterum dubium principale resolvendum est, an infirmus peccare possit ob nimiam devotionem erga hoc Sacramentum; illud scilicet pluries recipiendo in eadem infirmitate; Pro resolutione hujus dubii attendantur à studioso Lectoris quatuor sequentes conclusiones.

Prima Conclusio: Nonnulli Scriptores de Ritibus antiquis in Sacramentorum administratione solliciti notant, quod ab hinc ante mille annos Extrema Unctio dabatur infirmis per plures sequentes dies continuos; idque colligunt ex libro Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ, (quem Hugo Menardus Monachus Benedictinus notis illustravit) nam in eodem libro, inter orationes pro visitatione, & unctione infirmorum pag. 253. ita dicitur post completas Unctiones: *Deinde communice eum Corpore, & Sanguine Domini: & sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam de Communione, quam de alio officio: unde idem Menardus in notis pag. 335. ait: T. de alio officio significatur de Unctione; & pag. 336. subdit: Et quamvis hodie in eodem morbo non repetatur hoc Sacramentum; si tamen antiquus valeret usus, id non esset absurdum; quia non cessante morbo, homine adhuc existente in peccatis, ob peccata saltem venialia, quæ nobis quotidie obrepunt, quia (septies in die cadit iustus) juve possit hoc Sacramentum sæpius in eodem morbo repeti. Succellivè implet Menardus in notis ad Antiquum Extremæ Unctionis conferendæ Ritum ex Codice M. S. Ratoldi Abbatis pag. 358. Vers. 13. ita advertit: Nota continuationem Unctionis per septem, & plures dies, quæ etiam extat in Sacramentario S. Eligii. Confirmari potest hæc opinio Menardi ex relatione, quam faciunt Sæcula Benedictina, seu Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, in quibus Sæculi 11. part. 2. Anno 888. in vita S. Remberti Episcopi Hammaburgensis pag. 483. hæc habentur: *Septimo ante obitum die ministerium Sacre Unctionis cum Oleo Sancto ei fieri cepit, & unà cum Communione Corporis, & Sanguinis Domini usque in diem anima exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit. Quo in loco Joannes Mabillon Monachus Congregationis S. Mauri, Vir cellissimæ eruditionis; lit. B. sic notat: Namque mos olim in Ecclesia vigeat, ut Unctio infirmorum, quæ Viatico præturbatur, per plures dies à pluribus Presbyteris repeteretur.**

Ego tamen (pace, ac reverentia tantorum Virorum semper salva) contendo, supradictas reiteratas Unctiones non fuisse reiterationem Sacramenti Extremæ Unctionis, sed simplices Unctiones curativas pro devotione infirmi iteratò ei imperpetuas ex rationibus, quas consideravi supra Decis. LXX. num. 22. & 29. ibi iterum à studiosis legendas; & per ea, quæ dixi in Decis. LXXXI. à n. 15. & seqq. ubi ex doctrina celeberrimi Jacobi Pignatelli Jurisconsulti Romani ostendi reiteratas Unctiones, quæ à Græcis exhibentur cum Oleo Sacro, non esse Sacramenta, sed Sacramentalia, ad curandos languores, & dolores alicujus membri liniendos vim habentia; ideoque hoc idem est interpretandum de Unctionibus antiquorum, quæ replicabantur ob devotionem infirmi periculose decumbentis, post datum eodem Sacramentum Unctionis Extremæ. Favet huic meæ opinioni Matthæus Galenus in Promptuario Theologico Catechesi 182. hoc idem sentiens, & ejus verba refert etiam Menardus in Notis d. pag. 335. quæ sunt 38 hujusmodi

hujusmodi: *Ad hac non fiebat illud* (Unctionem scilicet reiteratum officium) perfunctorie, & propter; sed ubi ager non convalescebat, redibant eodem Sacerdotes per Septiduum ungentes: non quidem Sacramentum (notet Lector) toties repetentes, sed statis precibus unctione curantes laborantia membra, prebentesque Sanctam Eucharistiam. Ulterius si per septem continuos dies Sacramentum Extremæ Unctionis unicuique infirmo solitum fuisset ministrari, de unoquoque infirmo, præcipue sublimis conditionis, hujus repetiti Sacramenti Historiæ meminissent. At hoc non narrat, nisi de aliquibus; siquidem præter exemplum Ven. Bedæ, & S. Hune-gundis, de quibus supra n. 9. & 10. ut hoc unum aliud exemplum adducam loco plurium aliorum, in iisdem Actis Sacri Ordinis S. Benedicti sæculo primo Anno 545. pag. 102. De Clotilde, (alias Chrotilde) Regina Francorum, in ejus mortis narratione legitur ita: Corporali agitudine gravata lecto decubuit. Tricesimo itaque die vocationis suæ secundum Apostolum inuncta à Sacerdotibus Oleo Sancto, & Sacri Corporis, & Sanguinis Christi percepto Viatico in Confessione SS. Trinitatis corpus exiit. En mentio singularis, non reiterata Unctionis per plures dies. Cæterum quidquid in usu fuerit antiquis sæculis illis; est, quod tunc Sacramentum Unctionis Extremæ eodem periculo infirmitatis curante reiteraretur per septem, aut plures dies; sit

Secunda Conclusio: Illicitum est reiterare Extremam Unctionem eidem infirmo, durante ipso met discrimine vite, in quo Oleo Sancto fuit inunctus. Probat hanc conclusio ex doctrina S. Thomæ in 4. dist. 23. qu. 1. artic. 4. à Catechismo Romano de Sacram. Extr. Unct. sess. 11. ubi ita dicitur: *Illud observare oportet, in una eademque agrotatione, cum ager in eodem vite periculo positus est, semel tantum ungendum esse.* Quod quidem non obscure definitum fuit à Tridentino Concilio de Extrem. Unct. cap. 13. in illis verbis: *Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convalescerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vite discrimen inciderint.* Ergo si non convalescerint post susceptam Sacram. Unctionem, non sunt iterum ungendi. Hoc idem expresse prohibet Rubrica Ritualis Romani de eod. Sacram. Extr. Unct. ibi: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet.* Ratio autem hujus prohibitionis est, ut infirmi majori cum devotione, ac Spiritus fervore suscipiant hoc Sacramentum, & uberiores ex eo colligant fructus, scientes semel tantum eadem infirmitate ipsum esse recepturos, & ita docent Ivenim de Extrem. Unct. quest. 9. cap. 1. in fine. Diana part. 5. tract. 3. resol. 96. nec non part. 10. tract. 11. resol. 11. Quæ existunt in Opere ejus Coordinato tom. 2. tract. 4. resol. 39. & 40. Salmanticenses cit. tract. 7. cap. 4. num. 6. Mastrius d. disput. 6. in 4. Sentent. n. 59. & Tamburin. de Extrem. Unct. lib. 6. cap. 2. §. 6. num. 1.

Tertia conclusio Ex communi Doctorum placito in eadem infirmitate potest idem infirmus rursus Oleo Sancto liniri, quando ipsa infirmitas, quæ erat periculosa, facta fuit sine periculo; sed deinde iterum facta est periculosa. S. Thom. in 4. dist. 23. qu. 1. art. 4. & S. Bonaventura ead. dist. 23. part. 2. qu. 4. in fine. Mastrius d. disput. 6. num. 60. hæc scribens: *Si infirmus graviter laborans hoc Sacramentum semel suscepit, si postea periculum evasit, & ob morbi diuturnitatem, ut hydropisis v. g. vel thysis, varietur notabiliter morbi status, & rursus in simile vite periculum incidat, hoc Sacramentum repetere poterit, quia in tali casu novus censetur morbus, nova-*

que necessitas. At paulò post subdit: *Advertunt tamen Doctores inter unam, & aliam Unctionem, notabilem temporis distantiam interponi debere, ut ita verè constet, & appareat, periculum mortis fuisse verè renovatum.* Ita Suarez, Nugnus, &c. quibus adhærent Diana Coordinatus d. tom. 2. tract. 4. resol. 39. & 40. Salmanticenses d. cap. 4. n. 9. Tamburin. d. §. 6. n. 3. & segg. & Gobatus d. tract. 8. de Extrem. Unct. n. 887. & segg. qui ad amussim examinat, quando censenda sit sufficiens morbi mutatio de periculoso in non periculoso; & è contra; ac ideo in praxi è Parochis consulendus & legendus.

Quarta, & Ultima Conclusio est; si infirmus Oleo Sancto inunctus convalescerit ab illa infirmitate, & sanus factus extiterit; si deinde in aliam inciderit mortalem infirmitatem; liniri poterit Sacramento Extremæ Unctionis; & hoc expressit Catechismus Romanus d. sect. 11. in illis verbis: *Quod si post susceptam hanc Unctionem ager convalescerit, quoties postea in id vite discrimen inciderit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi.* Et hoc concorditer docent omnes Theologi, ac Canonistæ allegantes Constitutionem XIX. Eugenii IV. Incipien. *Exultate Deo &c.* in qua §. 9. in fine ait: *Extremæ Unctionis Sacramentum esse unum de illis quatuor quæ non imprimunt characterem, & reiterationem admittunt.* Diana Coordinatus d. tom. 2. tract. 4. resol. 39. & 40. Cotonius lib. 2. Controv. 15. n. 40. Salmanticenses d. tract. 7. cap. 4. n. 9. Emin. Card. de Lauræa de Extrem. Unct. disp. 11. n. 193. Mastrius d. disput. 6. in 4. Sent. n. 59. ubi ponit verba Concilii Tridentini sess. 14. cap. 3. hanc reiterationem in nova infirmitate concedentis. Gobatus eod. tract. 8. n. 886. & segg. & Barbosa de Parocho cap. 22. num. 38. ubi alios DD. allegat.

DECISIO LXXXII.

ARGUMENTUM.

Effectus quinque, quos operatur Extrema Unctio, declarat præsens Decisio. Hi sunt gratiæ augmentum, & aliquando gratia prima. Venialium remissio quo ad culpam, & quo ad partem poenæ. Delectio reliquiarum peccatorum. Levamen conscientiæ. Robur contra tentationes Dæmonis: & Sanitas corporis, si expediat animæ salutis. Innuuntur tres Theologicæ Quæstiones de Præcellentia dictorum Effectuum. De tempore, quo producuntur; & de eorum influxu post sublatum obicem, cum quo fuerat collatum Sacramentum.

SUMMARIUM.

- 1 Scholastici obscuro, circa effectus Extremæ Unctionis.
- 2 Effectus Extremæ Unct. quinque.
- 3 Gratia sanctificans est Olei Sancti primus effectus.
- 4 Gratia prima aliquando infunditur in Extremæ Unctione.
- 5 Venialia deleantur per Extremam Unctionem.
- 6 Ex opere operato Oleum Sanctum delet Venialia.
- 7 Differentia inter Sacramentum Penitentiae, & Extremæ Unctionis.
- 8 Pena debita pro Venialibus remittitur in Oleo Sancto.
- 9 Reliquia peccatorum deleta per Extremam Unctionem quid sint?
- 10 Diaboli astus contra moribundos.

A a 3

Theodori